



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab Anno 561 Usque Ad Annum 633

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1759**

**VD18 90117832**

§.38. Concilium Cabillonense. Salonius & Sagittarius.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66072](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66072)

§. XXXVIII.

Sæculum VI.

A. C. 579.

*Concilium Cabillonense. Salonius & Sagittarius.*

Aunacarius degebat in Regno Guntrami, quo Regum Francorum nullus Santior. Id pleraque ejus facta testantur, & Concilia sub illud tempus celebrata, quibus, sed non omnibus, Aunacarius adfuit & subscripsit. Ex his una Synodus Cabilloni ad Ararim decimo octavo anno Regni Guntrami, id est, anno 579. celebrata est, in qua Salonius & Sagittarius depositi. Fratres hi erant, educati & Diaconi ordinati a S. Nicetio Episcopo Lugdunensi, atque ipso adhucdum in vivis agente, Salonius Embroduni & Sagittarius Vapinci Episcopi creati. Tunc vero, ut proprio arbitrio vivere licuit, in atrocissima flagitia, adulteria, parricidia, latrocinia proruperunt. Victore Episcopo Tricastro aliquando suæ ordinationis Diem hilariter celebrante, ipsi armatorum cohortem immittunt, qui gladiis & sagittis Episcopum aggressi, vestem lacerant, familiares verberant, vasa, & omnia quæ convivio parata erant, diripiunt. Hac re ad Regem Guntramm delata Concilium Lugduni congregari jussit, in quo S. Nicetius præsedet. Salonius & Sagittarius in eo accusati, examinati, convicti & ab Episcopatu depositi sunt.

*Greg. V. c. 28.*

*ibid. c. 21.*

H 5

Nihilo-

Sæculum VI. Nihilominus, cum scirent, quod Re-  
A. C. 579. gem sibi etiamnum faventem haberent,  
 eum adierunt, petentes licentiam Ro-  
 mam eundi, & causam suam coram Pon-  
 tifice exponendi; quod Rex non solum  
 concessit, sed etiam litteras ferendas de-  
 (†) Pelagii dit. In conspectum Joannis Papæ (†)  
 Papæ. admissi querelam moverunt, se innocen-  
 tes fuisse depositos, scripsitque Papa Re-  
 gi, petens, ut ipsos Sedibus suis restitue-  
 ret, quod Rex sine mora effectum dedit,  
 nam acerrime increpitos, ut prioris vi-  
 tæ dissolutionem emendarent, ad suas  
 Ecclesias dimisit. Illi abjecta de cœtero  
 emendationis cura, ut cum Victore Epi-  
 scopo reconciliarentur, viros, quos ad  
 insultandum ei immiserant, ipsius pote-  
 stati tradiderunt. Hos Victor nulla in-  
 flicta pœna liberos dimisit, ut inimicis  
 suis secundum præceptum Evangelicum  
 ignosceret. Verumtamen tanta ejus in-  
 dulgentia Episcopis displicuit, qui eum  
 sua Communione privarunt, quod, post-  
 quam coram illis publicam actionem mo-  
 vissset, suis deinde Adversariis secreto  
 privata sua Auctoritate & non requisito  
 ipsorum Arbitrio fuisset reconciliatus.  
 Postea ex Regis Mandato Victor Com-  
 munioni restitutus est.

Interim Salonius & Sagittarius in dies  
 Greg. IV. in pejora ruebant. Arma Laicorum mo-  
 nist. c. 37. re gerebant. Inito contra Longobardos  
 prælio

proelio cum Patricio Mommolo adfuere lorica & galea insignes, virosque aliquot sua manu maclarunt. Ira aliquando concitati quosdam de civibus suis usque ad effusionem sanguinis fustibus cæciderunt.

Accusatos Rex venire iussit, at in conspectum admittere noluit, priusquam objecta diluissent. Non tulit æquo animo hunc rigorem Sagittarius, & superante insania multa Regi & filiis ejus contumeliosa effutiit. Rex iratus fratres adeptis famulis, equis, & quæcunque habebant, in Monasteria remota, ut ibi inclusi pœnitentiam agerent, relegavit, præcipiens locorum illorum Prætoribus, nisi iratum sibi Regem vellent, ut Episcopos vigili armatorum custodia servarent, & neminem hominum captivos invisere sinerent.

Duo tunc Guntramo erant filii; cumque major natu ægrotare cœpisset, dixerunt ad Regem Proceres: *habemus, quod te moneamus, si benignas aures præbueris. Rex: edicite, si quid habetis. Illi: Episcopi isti, ad exilium damnati, insontes sunt, & timemus, ne Principem filium tuum hujus peccati pœnam subire cogat omnipotens Numen. Dixit Rex: ite, properate, liberos dimittite, & rogate meo nomine, ut pro liberorum nostrorum incolumitate preces ad Deum fundant.* Itaque Salonius & Sagittarius ex

Mona-

Sæculum VI.

A. C. 579.

Id. V. c. 21.

Rex Francorum Guntramus.

Sæculum VI. Monasteriis dimissi in mutuos amplexus  
A.C. 579. ruerunt, quod satis longo tempore, ut  
 ipsis quidem videbatur, colloqui, & con-  
 versari non licuisset, tum ad Civitates  
 suas redierunt, tunc vero pœnitentes, &  
 toto animo conversi videbantur. Jeju-  
 nabant, eleemosynas largiebantur, Psal-  
 terium singulis diebus recitabant, no-  
 ctes orando transigebant. Sed brevi  
 tempore duravit hæc devotio, mox  
 enim in pristinum teporem relapsi, atque  
 inde in omnem licentiam effusi sunt. Plu-  
 rimas noctes inter pocula & epulas per-  
 debant, & Clericis in Ecclesia preces  
 matutinas cantantibus ipsi mensæ accum-  
 bebant, Divinæ Legis, & Officii Cano-  
 nici recitandi immemores, quamvis jam  
 illorum ævo non solum Clerici, sed etiam  
 Episcopi omnes huic debito satisfacere  
 adsuevissent. Cum illucesceret a mensa  
 transibant ad lectos cum concubinis, &  
 usque ad tertiam stertebant. Tum balneo  
 abluebantur, & restaurabant convivia.

*V. Mabill. de  
 cursu Gal.  
 l. 6.*

Tandem Rege Guntramo jubente  
 Concilium Cabillonense anno 579. cele-  
 bratum, ubi scelerata ipsorum vita rur-  
 sus examini subiecta. Præter homicidia  
 & adulteria etiam criminis læsæ Majesta-  
 tis & proditiōnis accusabantur; hinc ab  
 Episcopali munere depositi, & in Eccle-  
 sia S. Marcelli nempe in Monasterio, quod  
 Rex Guntramus Cabilloni ad honorem  
 hujus

hujus S. Martyris fundaverat, inclusi. Ve-  
 rum Salonius & Sagittarius ex hoc quo-  
 que carcere elapsi, reliquum vitæ per di-  
 versa loca errantes exegerunt. At eo-  
 rum Ecclesiis alii Episcopi, Vapinci Ari-  
 dius seu Arigijs, & Embroduni Emeri-  
 tus præpositi.

Sæculum VI.  
 A.C. 579.

§. XXXIX.

*Concilia Matisconense & Lugdunense.*

Concilium primum Matisconense quo-  
 que Guntrami Regis jussu anno 581.  
 seu 583. prima die Nov. celebratum. Ad-  
 fuere Episcopi viginti & unus, inter quos  
 Archiepiscopi quatuor Lugdunensis,  
 Viennensis, Senonensis, & Bituricensis  
 eminebant. Septem vero illorum Epi-  
 scoporum in Ecclesia inter Sanctos colun-  
 tur. In hoc Concilio novemdecim Ca-  
 nones conditi, & memoratu magis di-  
 gni sunt sequentes. Clericis prohibetur,  
 ne arma gerant, nec vestitu Sæcularium  
 hominum aut calceamentis incedant.  
 Hanc legem transgredientium pœna sit  
 triginta dierum carcer, atque in pane &  
 aqua jejunium. Judicibus Sæcularibus  
 prohibetur sub pœna Excommunicatio-  
 nis, ne Clericum judicio persequantur,  
 aut vinciri jubeant, excepta criminis  
 causa, puta homicidii, furti, aut male-  
 ficii. Clericis prohibetur ne Confratres  
 Clericos coram Judice Sæculari accusent,  
 aut

to. 5. Conf.  
 p. 966.  
 V. Coimt. 583  
 n. 12.

ibid. n. 43.

c. 5.

c. 8.